

• In omnibus gentibus pro nomine eius.) In cunctis nationibus gratiam (inquit) accepimus. nec ipsi modo: quin & ceteri Apostoli. Neque enim nationes uniuersas adiuit Paulus. ni forte dixerit quispiam: & si minus quum in humanis hic ageret: ultra tamen perfunctus per suas epistolas gentes omnes, & nationes peruasit: ut tantum Christi nomine audito, nondum tamen Christi percepta substantia crederent illi. Quandoquidem ex signis, quae facitaret: nomen est Christus apud mortales, & fama adeptus. Vel id procul dubio fide & credulitate indiguit: quod sane nec capi poterat animo. Aduerte tamen Euangelij donum. Neque enim uni cuiuspiam nationi, quemadmodum & Iudaeis lex illa uetustior, istiusmodi data est gratia.

Paulus quomodo dicatur in cunctis gentibus gratiam accepisse.

• In quibus & uos uocati estis Iesu Christi.) Hoc loco Rhomanorum deprimunt insolentiam. Neque enim, inquit, qui rerum potiri uideamini, plus ceteris estis quippiam consecuti. quandoquidem reliquis, ut & uobis, Euangelium praedicamus. Ne itaque insolentia. Vel aliter: Estis quidem & uos uocati: per gratiam admissi, non ultrò adueantes.

Gratia Euangelii ad omnes pertinet.

• Omnibus quae sunt Rhomae dilectis deo, uocatis sanctis.) Nec simpliciter Rhomae mentibus uniuersis, sed deo dumtaxat dilectis. At unde potest huiusmodi comprehendi dilectio? Nimirum ex sanctificatione ipsa. Sanctos namque appellat fideles, repetitque uocatis secundo: ut diuinum his beneficium commemoraret, aperiretque per gratiam fuisse uocatos. Et si ex patriciorum estis & consularium numero, uocauit. perinde ac si dicat: tamē uos deus uocatione eadem, qua & infimos, & sine magistratu homines euocasset: nec secus uos atque illos sanctificauit. Quum itaque & amorem sitis, & uocationē, ac sanctificationem cum ceteris parem fortitū, nequaquam erit uobis in tenuiores & infimos superbiendum.

• Gratia uobis & pax.) Pacē hanc Christus & Apostolis ipsis iniunxit, alienas domos ingredientibus, praerogauit. Pax uerò nequaquam inimicitias soluet, quas nobis cum deo praua facinora pepererunt: ea tamen nullis nostris laboribus, sed diuina indulgentia nobis obuenit. Praecedit itaque gratia pacem. Id uerò utrumque bonum perpetuo Paulus mansurum precatur: ne forte nobis rursum in peccata labentibus, aliud quoddam insurgat bellum.

Gratia praecedit pacem.

• A deo patre nostro, & domini nostri Iesu Christi.) O quantum inualuit diuinæ gratiae charitatis. siquidem ipsi, qui & uiliores sumus, & honorum expertes, deum sumus in patrem nati. Sit igitur, inquit, a deo patre Christo Iesu domino gratia uobis firma & stabilis: qui eam & largiri potest, & in longum seruare.

• Primum quidem gratias ago deo meo, per Iesum Christum, pro omnibus uobis: quia fides uestra annuncietur in uniuerso mundo.) Decet hoc pauli preces exordium: quod & ipsi ad gratia deo habendam inferuimus. Nec solum pro ijs, quae in nos ipsos, sed quae in proximum collata per eum sunt, beneficijs, quod utique uerè est charitatis indicium. Agit autem Paulus gratias haud sanè pro terrenis huiuscemodi beneficijs bonis, sed ob eam quam Rhomani fidē susceperant. Deo uerò meo quum inquit: animi sui aperit affectum, quando cōmunem omnium deum, suum hic facit: quemadmodum & Prophetae solent. Quin etiam & deus ipse, Abraam, Isaac, & Iacob deum se nominat: ut suam erga illos patefaciat charitatem. Dicit autem per Iesum Christum se gratias agere: quia pro nobis ille apud patrem ad impetranda beneficia intercedit. Nec solum nos ad gratias huiuscemodi agendas instituit, quin & patri has desert, quum referuntur. Enim uerò uel eo gratias agit, quod Rhomanorum sit fides in orbem uniuersum uulgata. Porro duo quaedam in Rhomanis suo testimonio probat. & quia in Christum crediderint: & tanta cum gloria, ut eorum fides terrarum orbem peruasit. Qua ex re ingentem cunctis mortalibus obuenturam utilitatem existimat, qui studio sint inflammati regiam urbem sectandi. Dicit praeterea & deo gratia: quia & Petro discipulo credidissent, qui id temporis Euangelium praedicaret: quo cum omnia sibi communia duceret.

Deus, cur dicatur deus Abraham, Isaac, & Iacob.

• Testis enim est mihi deus, cui serui in spiritu meo, in Euangelio filij eius.) Ne forte id dictum minus uideretur cum subsequentibus conuenire: siquidem dicitur esse se illorum habere memoriam, praesertim quos antea nunquam uidisset: testem inuocat cordium cognitionem. Aduerte quanta insit Apostolo animi affectio: quam ardentissima in proximum charitas: ut inter orandum, uel eorum reminiscatur, & deo commendet, quos nusquam spectasset. Serui autem deo: id est, spiritui meo serui: cuius non carnalis, sed spiritalis est cultus. Gentilis sane fallitur, carnalis est, Iudaicus uerò, & si non fallitur: carnalis tamen & ille est. At Christi seruitus cultusque, & uerus est, & spiritalis: sicuti & dominus ipse Samaritanis alloquitur: Veri (inquit) adoratores, in spiritu & ueritate adorant. Sed seruicium quidem diuersus est modus. gladius enim deo inseruit, quum illi solum pro uiribus uacat. alius quum peregrinorum suscipit curam, uel uiduas ipsas tutatur: quales erant, qui circa Stephanum uersabantur. alius praeterea sermonem ministrat, propterea Paulus inquit: ego serui in

Dei cultus spiritalis.

Multi modi deo seruiendi.